

Q. N. 145, 21.

x 2002 554



CANTIONES

Sacræ, Latinae,

In

Scholâ BUDISSINENSI

Evangelicâ,

Lectiõibus publicis,

per singulas Hebdomadas,

præmitti & subjici

solitæ;

Quibus

aliquot Precationes publicæ

annexæ.



Budissæ,

Typis Andreae Richteri, An. C. 1693.



Virorum

*Maximè, Plurimum & Admodum Reve-
rendorum*

FILIIS,

Paternæ Pietatis & Eruditionis Æmulis,
Auditorii Superioris,

Discipulis Commendatissimis,
Has Cantiones sacras & Scholasticas,
additâ hac appreciatione:

ut omnes evadant

FILII,

Parentes suos exhilarantes,
Deoque, & Proximo

Utilia Officia præstantes:
Memoriæ & Benevolentia causâ,
Strenæ loco

offert

M. Johannes Rosenberg
Schol. Budiss. Evang. Rect.

Sum

Sunt autem illi sequentes:

CHRISTIAN KORN, *Cotbus Lusat.*

LIEBFRIED MARCHE, *Crosta-Lusat.*

**JOHANNES FRIDERICUS CICHOR-
RIUS,** *Hojersw. Lusat.*

**CHRISTIANUS ALBERTUS ER-
MELIUS,** *Schönfeld, Lusat.*

EMANUEL MUSCOVIUS, *Læbau.
Lusat.*

CHRISTIANUS MICKWITZ, *Für-
stenberg. Lusat.*

JOHANNES JOACHIMUS KNOFF,
Schorbus Lusat.

GEORGIUS LEONHARDI, *Ujest-Lus.*

JOH. GOTTFRIED LAURENTIUS,
Sebnitz. Lusat.

JOH. CASPAR TZSCHUDERLY,
Lohse-Lusat.

Gott:

GOTTLIEB LIEFFMANN, *Vratisl.*
Lusat.

CONR. CRÜGER, *Krischa-Lusat.*

DAVID METIG, *Muscav.*

JOH. JACOB SARTORIUS, *Horn-Lus.*

DANIEL PRÆTORIUS, *Budiss. Lus.*

JOH. DANIEL LONGOLIUS, *Kü-*
ckendorff Lus.

DAVID CHRISTIAN SCHULLER,
Klittâ Lusat.

GEORGIUS FRIEDERICUS BRUC-
CATIUS, *Baruth-Lus.*

Die



H
A
Polu
Phœ

A
Nos
Dulo
Et fu

A
Tu
No
Et l

C
Hâ
Inc
Et



Die Luna.

Horâ matutinâ. *Andreae Ellingeri.*

Aurora surgit fulgida,
Lucis propinquæ nuncia,
Polus rubescit, emicat
Phœbus corusco lumine :/:

2.

Amœna lux strato jubet
Nos excitatos surgere,
Dulcem quietem linquere,
Et supplices hæc dicere:

3.

Ago tibi nunc gratias,
Tuum, Deus, per filium,
Nostræ salutis vindicem
Et liberatorem unicum,

4.

Quod me sopori deditum
Hâc nocte custodiveris,
Incommodis ab omnibus,
Et horridis periculis.

)o(3

5. Te

5.
Te quæso nunc piâ prece,
Ut hóc diei tempore,
Alis latentem sub tuis,
Clementer idem protegas.

6.
Ne prava forsan actio,
Legi sacræ contraria,
Te iusta cogat, ut tui
Furoris arma concites.

7.
Ut quicquid usq; cogitem,
Quicquid loquar, quicquid geram,
Tibi probetur, ut tuæ
Mandata legis exeqvar.

8.
Nam me meumq; corpus &
Animam meam, clemens Pater,
Commendo dexteræ tuæ,
Ne me paventem deseras.

9.
Mecum sit Angelus tuus
Sanctus, minister flammeus,
Qui satanæ ferociam
Grassantis in me reprimat.

Finitis

Finitis eodem die Lectionibus matutinis:
Phil. Melanchth.

*D*icimus grates tibi, summe rerum
Conditor, Gnato tuo quod ministros
Flammeos finxit manus Angelorum,
Agmina pura.

2.

*Q*ui tuæ lucis radiis vibrantes
Te vident lætis oculis, tuasq;
Hauriunt voces, Sipientiæq;
Fonte fruuntur.

3.

*H*os nec ignavum sinis esse vulgus,
Nec per ingentes volitare frustra
Ætheris tractus, temere nec inter,
Ludere ventos.

4.

*S*ed jubes Christo comites adesse,
Et pios cætus hominum tueri,
Qui tuas leges venerantur atq;
Discere curant.

5.

*I*mpis ardens odii & ira,
Nam tuis castris Draco semper infert
Bella, qui primus scelus atq; mortem
Intulit orbi.

6. Hic

nitis

6.

Hic domus, urbes, tua templa, gentes,
Et tuæ legis monumenta tota,
Et bonos mores abolere tentat
Funditis omnes.

7.

Interim sed nos tegit Angelorum,
Quæ Ducem Christum sequitur, caterva
Atq; grassantis reprimit cruenta
Arma Draconis.

8.

Angeli Lothum Sodomæ tuentur;
Inter infestos Elisæus hostes
Angelis cinctus nihil extimescit
Bellica signa.

9.

Tutus est inter medios leones,
Angelis septus, Daniel, Propheta:
Sic tegit semper DEUS his ministris
Omnia nostra.

10.

Hoc tuum munus celebramus unâ,
Et tibi noster chorus Angeliq;
Gratias dicunt, simul accincentes:
Conditor alme,

11. Et

11.

*Et tuo templo vigiles ut addas
Angelos semper, populoq; Gnati
Qui tui verbum colit, obsecramus
Pectore toto.*

Die Lune

Finitis Lectionibus pomeridianis

S. Ambrosii

O Lux, beata Trinitas,
Et principalis unitas!
Jam sol recedit igneus,
Infunde lumen cordibus.

2.

**Te manè laudum carmine,
Te deprecemur vespere,
Te nostra supplex gloria
Per cuncta laudet secula.**

3.

**DEO Patri fit gloria,
Ejusq; soli Filio,
Cum Spiritu Paracleto,
Nunc & per omne seculum!**

Die

Et

Die Martis, hora matutinâ
M. Cyr. Lindeneri.

O Deus, magni Fabricator orbis!
Qui piis gaudes precibus bonorum,
Quas tibi totis animis & imô
Pectore fundunt.

2.

Da precor, noctis tenebris fugatis,
Dum novæ lucis redeunt labores,
Ut tibi soli placeant peractæ
Tempora vitæ.

3.

Tu regas mores, animumque formes,
Ut piæ mentes studio salutis
Ardeant, & te Dominum supremum
Laudibus ornent.

4.

Ut bonas artes, Duce te, sequamur
Et feros cultûs hominum malorum
Ritè vitemus, studioque toto
Te veneremur.

5.

Christe, qui summo genitus parente,
Convocas ad te docilem juventam,
Nec cupis primos periisse nobis
Turpiter annos.

6. Spiritus

6.

*Spiritu Sancto rege corda nostra,
Et fac, ut vires habeant colendi
Te Deum verum, Dominumque mortis,
Virgine natum.*

7.

*Fervida ne nos rapiant juventa
Impetûs, fraudes Satanae repellant
Angeli, nec nos hominis mali con-
tagia ledant.*

8.

*Ritè sic nobis peragetur ævum
Omne, sic rectis studio fideli
Artibus culti, tibi serviemus
Pectore totò.*

9.

*Nostra sic navis, dubio periclo
Functa, caelestis Patriæ perennem
Tanget, & toto retinebit ævi
Tempore portum.*

Eodem

Eodem die, *finitis Lectionibus matutinis.*
Valentini Cremcovii, Psalm. 24.

HÆc terra, quæqve continet,
Sunt, cuncta, Jovæ, qui fovet:
Profunda terræ sustinet,
Immota quæ furentis
Stat æquoris fluentis.

2.

Sacræ domûs quis incola
Scandet Sionis culmina?
Qui labe purus pectora,
Non pejerat nocenter,
Agitve fraudulenter.

3.

Hic scriptus hæres cœlicæ
Ex asse fiet gratiæ,
Dei faventis munere;
Gens fida posterorum,
Dei flagrans amorum.

4.

Pendantur Orbis januæ!
Laudi vacate debitæ,
Instante Rege gloriæ:
Rex gloriæ verendus,
In seculum canendus.

5. Belli

5.

Belli quis ille Rex potens,
Forti manus affrens,
Adoranda semper cluens?
Rex, maximus vocatus:
Nos grex ei sacratus.

6.

Pendantur orbis januæ!
Vacate laudi debitæ,
Intrante Rege gloriæ:
Rex gloriæ verendus,
In seculum canendus.

Die Martis, finitis Lectionibus pomeridians. Prudentii.

A Des, Pater supreme,
Quem nemo vidit unquam,
Patrisque Sermo, Christe,
Et Spiritus benigne!

O Trinitatis hujus
Vis una, lumen unum:
Deus ex Deo perennis,
Deus ex utroque missus!

Flu

Belli

Fluxit labor Diei,
Redit quietis hora:
Blandus sopor vicissim
Fessos relaxat artûs.

Procul, ô! procul vagantum
Portenta somniorum!
Procul esto pervicaci
Præstigiator astu.

O tortuose serpens,
Qui mille per Mæandros,
Fraudesqve flexuosas,
Agitas quiveta corda,

Discede, Christus hîc est,
Hîc Christus est, liquefce:
Signum, quod ipse nôsti,
Damnât tuam catervam,

Corpus licet fatiscens,
Jaceat recline paulùm;
Christum tamen sub ipso
Meditabimur sopore.

Die

Die Mercurii horâ matutinâ.

Christe, vernantis Juvenum caterva
Ductor, haud ficta pietate fusas,
Aure non durâ facilis precantum
Accipe voces.

Nempe nec pubem teneram repellis,
Nec tibi nostri pia cura cessit,
Nos amas, nos in Patriæ locabis
Culmine regni.

Ergo cœlestis radiante verbi
Luce caligans renovare pectus,
Sit tibi curæ, nebulasque cœcæ,
Discute mentis.

Ut bonis junctas Pietatis artes
Moribus, primis dociles sub annis,
Rite discamus studio, benignus
Suffice vires.

Ac velut plantas teneras in hortis
Cura defigit riguis coloni,
Spemque venturæ segetis, repostæ
Semina condit:

Sic tuis hoc è grege sume dignas
Hortulis plantas, tibi sume lætas,
Quæ tibi largas aliquando fundant
Semina messes.

Jana

Die

Jamque te verâ pietate fassos,
Mille tentatos miserans periculis,
Liberâ vindex, Patriæque serva
Mœnia nostræ.

Arma civilis cohibe furoris,
Frangere grassantis rabiem Tyranni,
O Salus mundi, placidæque firma
Tempora pacis!

Ne velut frendens aper ille dente
Vertat immâni, tua quas beatis
Consitas hortis pia dextra jussit
Crescere plantas.

Ut tibi laudes meritas canamus,
Ut tuæ per nos celebretur olim
Gloriæ splendor, maneatque seros
Fama nepotes.

Eodem die, finitis Lectionibus ma-
tutinis.

UNica vitæ Regula, Christe,
Conditor orbis atque Redemptor:

Ne quasi pulchrum turpe probemus,
Disjice inertes corde tenebras,

Sit tua nobis tradita Flatûs
Namine Sancti nota voluntas.

Diri

*Dirige nostræ linteæ præoræ,
Cum vagamiscet æquora turbo.
Littora fac nos cernere fida,
Atque propinquum tangere portum.
Daque laboris ac studiorum,
Posse salubres carpere fructus,
Ut tua per nos gloria crescat,
Atque perenni laude colaris.*

*Eodem, finitis Læctionibus pomeri-
dianis, Cremovii ex Psalm. 4.*

*Q**uilargus indulgentiã
Mihiremittis crimina,
Audi, precor, vocantem:
Non deseris; inasperis:
Juva periclitantem.*

2.

*Q**uid Optimates, tam ferã
Proscinditis calumniã
Os vera prolocutum?
Mendaciis est frivolis
Vanum cor involutum.*

3.

*Videte, quã mirè Deus
Sanctos suos è tristibus*

Diri

B

Ex

*Extollit ad superna!
Non supplices temnit preces
Benignitas paterna.*

4.

*Afflictio bilem ciet;
Dei timens hâc abstinet,
Dolenda fert modestè;
Culpam dolet, ac sustinet
Sortis vices molesta.*

5.

*Quid (dicitur) gens impia)
Doceret iste nos bona?
Nobis hic imperaret?
Nos usibus res volvimus,
Quàm pax eum juvaret!*

6.

*Illumina nos, ô Deus!
Vultus tui splendore;
Vultus tuus serenus
Mi sufficit, ut iste sit
Farris, merique plenus.*

7.

*Fretus Deo lectum peto,
Utramque in aurem dormio:
Nam Rector ille rerum,
Custos meus dat hostibus,
Se vindicem severum.*

Die

Die *Jovis*, horâ matutinâ. *Prudentii.*

Nox & tenebræ, & nubila
Confusa mundi & turbida,
(Lux intrat, albescit polus,
Christus venit) discedite!

2.

Caligo terræ scinditur,
Percussa solis spiculo:
Rebusque jam color redit,
Vultu nitentis fideris.

3.

Sic nostra mox obscuritas,
Fraudisqve pectus conscium,
Ruptis reiectum nubibus,
Regnante pallescit Deo.

4.

Tunc non licebit claudere,
Quod quisque fuscum cogitat:
Sed mane clarescent novo
Secreta mentis prodita.

5.

Fur ante lucem squalido
Impunè peccat tempore:
Sed lux, dolis contraria,
Latere furtum non finit.

B

V

Die

6.

Versuta fraus & cāllida
Amat tenebris obtegi,
Aptamqve noctem turpibus
Adulter occultus fovet.

7.

Sol, ecce! surgit, igneus:
Piget, pudescit, pœnitet;
Nec, teste quisquam lumine,
Peccare constanter potest.

8.

Hæc lux serenum conferat,
Purosqve nos præstet sibi.
Nihil loquamur subdolum:
Volvamus obscurum nihil.

9.

Sic tota decurrat dies,
Ne lingua mendax, nec manus,
Oculive peccent lubrici;
Ne noxa corpus inquinet.

10.

Speculator adstat desuper,
Qui nos diebus omnibus,
Actûsque nostros prospicit,
A luce primâ in vesperum.

11. Hic

II.

Hic testis, hic est arbiter:
 Hic intuetur, quicquid est,
 Humana quod mens concipit:
 Hunc nemo fallit iudicem.

12.

Deo Patrî sit gloria,
 Ejusque soli Filio,
 Cum Spiritu Paracleto,
 Nunc & per omne seculum!

Eodem die finitis Lectionibus matuti-
 nis, Hymnus *M. Georgii Thymæi*,
 Correctus à *Philippo Me-*
lanchthone.

Aufer immensam, Deus, aufer iram,
 Et cruentatum cohibe flagellum;
 Nec scelus nostrum properes ad æquam
 Pendere lancem.

2.

Si luant justam mala nostra pœnam,
 Quis potest se vas tolerare plagas?
 Cum nec ultricem spatiosa ferret
 Machina virgam,

)o(3

Paro

ii. Hic

3.
*Parce sed nostris miserando culpis,
Jus pari clemens pietate miscens,
Cui manet semper proprium, maligno,
Parcere mundo.*

4.
*Cur super vermes luteos furorem
Sumis, o magni Fabricator orbis?
Quid sumus, quam fex putris umbra pulvis,
Glebaque terræ.*

5.
*Nos parentalis maculat reatus,
Et caro mentem trahit imbecillum;
Ergo tam sortem fragilem benigno,
Inspice vultu.*

6.
*Dacrucem, clavos, scuticam, coronam,
Lanceam, funes, rigidamque mortem,
Inter iratam mediare dextram
Et mala nostra.*

7.
*Non opus summi pereat Magistri,
Nec sinas cassam fore passionem
Corde sed manans lavet omne crimen
Sanguis & unda.*

Hoc

*Hoc ratum quò sit, facias, precamur;
 Omnibus, nobis Residens Olympo,
 Qui Deus semper dominaris orbi
 Trinus & Unus.*

*Die Veneris, horâ matutinâ.
 Eobani Hessi.*

*Veni, maxime Spiritus, tuorum
 Corda reple fidelium, tuique
 Accendas in eis amoris ignem,
 Qui gentes, fidei sub unitate,
 Per discrimina multa linguarum,
 Solator, Paraclete, congregasti.
 Quem nunc mittere Spiritum per orbem
 Digneris, Pater; omnia innovabis?
 O qui corda fidelium benigni
 Flatus numine doctiora reddis:
 Da nobis, age, Spiritu ex eodem
 Et rectum sapere, & frequenter ejus.
 Consolamine vivere & valere,
 Per Christum Dominum, Deumque nostrum!*

*Eodem die, finitis Lectionibus pomeri-
 dianis, Joh. Stigelii.*

*Serva, Deus, verbum tuum,
 Et frange vires hostium,*

Qui

Qui Jesum, Filium tuum,
Turbare conantur throno.

2.

Ostende nunc potentiam,
O Christe, Rex Regum, tuam;
Defende parvulum gregem,
Qui te fatetur Principem.

3.

Vivificator Spiritus,
Concordiam da cordibus!
Adsis periclitantibus,
Cum morte conflictantibus!

4.

O pacis & concordiae
Autor, Parensque maxime,
Præbe quietis prospera
Nostris diebus tempora.

5.

Cernant mali, nihil tuam
Contra valere dexteram:
Pugnare tu potens Deus,
Servare nosque cœlitus.

6.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,

Cum

Cum Spiritu Paracletō,
Nunc & per omne seculum.

Die *Saturni*, finitis Lektionibus pomeri:
dianis, *D. Ambrosii*.

Jesu, Redemptor Seculi,
Verbum Patris altissimi,
Lux lucis invisibilis,
Custos tuorum pervigil!

2.

Tu fabricator omnium,
Discretor atque temporum,
Fessa laboris corpora
Noctis quiete recrea.

3.

Te deprecamur supplices,
Ut nos ab hoste liberares,
Ne possit is seducere,
Tuo redemptos sanguine!

4.

Ut dum gravi sub corpore
Brevi manemus tempore,
Nobis sic caro dormiat,
Ut mens soporem nesciat.

Cum

10(5

Sic

Sit Christe, Rex piissime,
Tibi patriq; gloria,
Cum Spiritu Paracleto,
Et nunc, & in perpetuum.

*Singulis diebus, horâ primâ
Pomeridianâ.*

Veni, Sancte Spiritus! reple tuorum
corda Fidelium, & tui amoris in eis
ignem accende: qui per diversitatem
lingvarum cunctarum, Gentes in unita-
te Fidei congregasti. Alleluja. :/:

*Precatio quotidiana ex
Trocedorfio.*

Domine JESU Christe, gubernâ curri-
culum vocationis meæ, ut serviat
gloriæ tuæ: fac me fas misericordiæ,
servatum ad usûs tibi placentes, & mihi
atque aliis salutare. Arce à me prava
sodalitia, ne consuetudine eorum per-
trahar à te, nec ruam in peccata & scele-
ra. Incende & sanctifica cor meum spi-
ritu sancto tuo, ut verè ardeat amore
discendi & propagandi Evangelii Tui.
Confir;

Confirma me in verâ fide & agnitione
tui, ut in eâ perseverem, usque ad extre-
mum vitæ meæ, & Te, cum omnibus
Electis in vitâ æternâ perpetuò cele-
brem. Amen!

*Paraphrasis ejusdem Orationis Germani-
co-metrica, Auctore, Dn. M. Martino
Grünwald/ Con. R.*

D Jesu! Du hast mich beruffen/
Du wilst/ daß ich studiren soll.
Doch ich betrete diese Stufen/
Nicht ohne deine Leitung wohl:
Drum führe mich auff ebner Bahn/
Daß deiner Ehr' ich dienen kan.

2.

Erfülle mich mit deiner Liebe/
Mit Segen und Barmherzigkeit/
Daß sich mein Fleiß in Dingen übe/
Darüber sich dein Nahm erfreut/
Die meinem Nächsten nützlich sind/
Auf welche sich mein Wohlseyn gründt.

3.

Laß mich nicht in Gesellschaft kommen/
Die Wollust/ Schand' und Laster treibt
Sonst wird mein Herze dir genommen/
Und ihrer Bosheit einverleibt/

Ja

Ja ich gerath' in Spott und Schmach/
Und gehe Sünd und Laster nach.

4.

Entzünde vielmehr mit dem Geiste
Der Heiligung die zarte Brust;
So thu ich alles/ was ich leiste/
Aus ungefärbter Lieb' und Lust:
Ich greiffe meine Bücher an/
Daz ich dein Lob vermehren kan.

5.

Kurz; stärke mich bis an mein Ende
Mit Hoffnung/ Glauben und Gedult:
Nim meine Seel' in deine Hände/
Damit sie deine Vater-Huld
Im Himmel ewig hoch erhebt/
Und allen Engeln ähnlich lebt.

Schul-Gebeth.

Ewiger / Allmächtiger / Gerechter /
Barmherziger | **G**ott Vater / Sohn
und heiliger Geist / dich / allein wahren
Gott ehren und beten wir an: Wir sagen
dir Dank / deiner Güttigkeit befehlen
wir heute diesen Tag und zu jederzeit
unfers Lebens / Leib und Seele. Wir
bitten dich herzlich / du wollest unsere lie-
be

h/
de
dult:
ster/
ohn
hren
agen
hlen
zeit
Wir
re lie-
be

be Obrigkeit/ hohes und niedriges Stan-
des/ die Diener unserer Kirchen und
Schulen/ unsere Eltern und Bluts-
Freunde/ und alle die/ so uns liebes und
gutes erzeigen/ mit deiner gnädigen Hand
beschützen/ und für allem Ubel gnädiglich
behüten und bewahren. Wir bitten auch/
du wollest unser Studiren segnen/ und
all unser Thun zu deiner Ehre richten
und wenden/ und helfen/ daß wir nütz-
liche und heylsame Werkzeuge werden
der Christlichen Kirchen und Schulen/
des gemeinen Nutzens und der Haus-
haltung in wahren Glauben an Chri-
stum/ in einem ehrlichen Leben und Wan-
del/ in Reinigkeit des Herzens und des
Leibes. Hilf auch/ O lieber Gott/ daß
diesen Tag und jederzeit unsers Lebens/
dein Wille an uns geschehe/ und unter-
lassen werde/ was dich erzürnen möchte.
Regiere unsere Herzen mit deinem hei-
ligen Geiste/ auff daß wir nichts anders
gedencken/ als was heilig/ gottsfürchtig/
gerecht und keusch sey/ und was dir ge-
fallen möge. Unser Thun wollest du be-
fördern zu aller Zucht und Ehrbarkeit/
damit es dir gefallen möge: Und beschütze
uns/

uns/ O lieber Gott/ mit deiner gnädigen
Barmherzigkeit / welche die ganze
Welt erfüllet/ ohne welche nichts recht
tüglich noch löblich kan gedacht / geredt
noch gethan werden. Weil auch in die-
sen gefährlichen Zeiten/ Theurung/ Pe-
stilenz/ Aufruhr/ Feindschaft und Krieg
allenthalben im Schwange gehet/ so bit-
ten wir herzlich und demüthiglich / du
wollest von unser Kirchen und Schulen
Regimenten und Haushaltung abhal-
ten und abtreiben / Feuer und Wassers-
Noth/ Theurung und Pestilenz/ so wohl
auch alles Wüthen und Toben/ feindseli-
ge Anschläge und Kriegeres Rüstung; allen
Lermen und Unruhe / so sich aus Irr-
thum und Secten erheben möchten : und
wollest uns reine gesunde Luft / Friede
und Ruhe geben/ damit wir ohne Furcht
und in der Stille dich anrufen/ ehren und
preisen/ als einen einigen/ wahren/ all-
mächtigen / gnädigen / barmherzigen
Gott Vater/ Sohn / welcher mit Dir
und dem Heil. Geiste/ als ein wahrer
Gott / lebet und regieret in alle Ewig-
keit/ Amen!

Oran

Oratio Rectoris ante Lectionem,

ORamus DEum Patrem in nomine Fi-
lii ipsius, Domini nostri JESU Christi,
ut, quaecunque salubriter scienda nesci-
mus, doceat nos; in his, quæ vera novi-
mus, custodiat; in quibus, ut homines
fallimur, corrigat; in quibus verò titu-
bamus, confirmet, àque falsis & noxiis
nos eripat, & ea faciat de ore nostro pro-
cedere, quæ sint coram ipso principaliter
grata, cunctis fidelibus accepta, nobis
nostrisque studiis utilia, frugifera, & salu-
taria. Amen!

*Oratio metrica ad JESUM Christum
vera pro Sapientia.*

CHriste, fac, ut sapiam, quia tu Sapientia
Patris

Solus es, & tecum qui sapit, ille sapit.

*Heu! quanta tenebræ, quàm vana scientia
mentem*

Vexat, quis veri dulce docebit iter?

Ad te confugio, qui lux mortalibus ipse es.

Per quem senserunt cuncta creata diem.

*Da mihi divinum lumen, tenebrasq; re-
pelle:*

Spiritus illustret pectora nostra tuus.

Non

Non, equidem fateor, tanto sum dignus honore.

Sum miser, & multo crimine, Christe, reus.

*Sed tamen infuso confido sanguine, cuius
Purgabit sordes guttula parva meas.*

*Non mihi quero lucrum, vanam non arro-
go laudem:*

Et laus & lucrum tu mihi solus eris.

Illustra mentem, caelestibus ignibus imple:

Nemo mihi praeter te, tua dona dabit.

*Ipse feram dulces laudum tibi munere gra-
tes:*

*Nil homo majus enim, quod tibi reddat,
habet.*

Oratio quotidiana.

O Deus, Pater caelestis, da, ut omnia ho-
die in nomine Tuò piè incipiam, &
religiosè finiam, Te semper timeam,
puram conscientiam custodiam, otium,
tanquam pulvinar Satanæ, odio habeam,
nihilq; mali cogitem, aut dicam, multò
minus faciam, & in primis Concupiscen-
tias juveniles fugiam. Effice contra ut
in verâ Fide atq; Virtutum Christiana-
rum

rum cursu, inprimis in *Obedientiâ, Hu-*
militate & Gratitudine in dies magis
proficiam atque in Gratia Tuâ perpetuò
vivam, & deniq̄ve moriar per *Dominum*
nostrum Jesum Christum, Amen.

Aliaë Precatiunculæ & Suspiria,

Ante lectionem Biblicam,

D. M. Lutheri.

Æterne Deus, & Pater Domini nostri
& Salvatoris *Jesu Christi* largire no-
bis Tuam gratiam, ut *sacram scripturam*
diligenter utiliterq̄ve legamus, & audia-
mus, *Christum* in eâ quæramus & inve-
niamus, & per Eum vitam æternam ha-
beamus: In quò **DEUS** nos ex gratiâ ad-
juvet, Amen.

Post lectionem Biblicam Ejusdem.

Gratias Tibi, æterne **DEUS** & Pater
Domini nostri Jesu Christi, pro revela-
tione sacri Tui verbi agimus, & ora-
mus, ut illud inter nos conservare, &
Spiritum Tuum Sanctum concedere di-
gneris, qui verbum auditione perceptum
cordi nostro ita inscribat, ut illud recipia-
mus,

mus, credamus, æternumqve per id gau-
dium, salutiumqve percipiamus.

Ante cœnam Dominicam, Ejusdem.

O *Domine Jesu*, sanctifica animam me-
am miseram ad beatam tuam *commu-
nionem*, & fac, ut illam ardentissimo desi-
derio dignè percipiam, inqve illâ dulcedi-
nem tuam in corde meo gustem, Te siti-
am, & cogitem. Amen.

Post cœnam Dominicam.

Dn. Olearij.

O *Domine Jesu, Christe* fac, ut gratitiæ
tuæ remissionis peccatorum & con-
stantis unionis tecum, utpote cum *Do-
mino & Capite*, nec non vitæ æternæ, per
pretiosum tui veri *corporis & sanguinis*
pignus certus sim, & maneam, & tandem
in tali fiducia lætus & beatus moriar, ita
ut nec vita, nec mors, a te me separare
possit. Amen.

*Suspirium quavis elapsâ & auditâ horâ
repetendum.*

Benedictus sit DEUS pro gratiâ suâ.
Idem peccata nobis remittat, feli-
cem nobis horam concedat piè viven-
di, & beatè moriendî per *JESUM Chri-
stum*, Amen. *Suspi-*

Suspiria morituri.

O Domine JESU, miserere miseri peccatori, & qui mortem devicisti, fac me fortem & intrepidum, ad eam perferendam, quæ mihi januam ad vitam æternam aperiet. Largire salutarem ex hac vitâ temporali egressum, & felicem in æternam ingressum. Effice, ut placidè obdormiscam, & in verâ fide, integrôq; Rationis usu hanc vitam finiam. Et cum Sermonis usu prorsus destituar, ultimos quæso gemitus Cordis mei exaudi. Domine JESU suscipe Spiritum meum. Tibi mi JESU, vivo, Tibi morior, Tuus sum mortuus & vivus. Amen.

Ex D. Bernhardo.

Dum Me mori est necesse,
Noli mihi tunc deesse,
In tremendâ mortis horâ,
Veni, JESU, absq; morâ,
Tuere me & liberâ,
Cum me jubes emigrare,
JESU chare, tunc appare. &c!

Morgen-Lied. M. M. Grünwald/C.

1.

Ach Gott! nun steh' ich auff: Dein Nah-
me sey gepreiset/

Weil mir dein Vater = Herz die Liebes = Krafft
erweist/

Daß ich das Morgen = Licht nach Wunsch' er-
blicken kan.

Derhalben leg' ich nun mein Kleid mit Freu-
den an.

2.

Der Satan hat verspielt/ die Macht ist hinter-
trieben.

Denn Jesus ist mein Freund und auch mein
Wächter blieben.

Ach! Seele freue dich / und rühme Gottes =
Freu:

Das Chor der Engel stimmt den frommen Lie-
dern bey.

3.

Allein/ du grosser GOTT/ du weisst/ich bin ein
Sünder/

Und dieser Nahme zieht auff lauter Unglücks =
Kinder.

Drum sende deinen Geist/ daß er mein Herze
rührt/

Daß mich die Sünde nicht von deiner Gnade
führt.

4. Ein

4.
Ein Jüngling läst sich bald die Eitelkeit verblens-
den.

Die Wollust dieser Welt lockt ihn mit beyden
Händen.

Ach! hilff du reiner Gott/ daß mich kein Thun
befleckt/

Das im Gewissen Angst/ im Leben Schand^e
erweckt.

5.
Wer dem Geblüte nach mit mir verbunden le-
bet/

Wer mich versorgen hilfft/ wer mein Glück^e er-
hebet/

Der habe diesen Tag Gesundheit/ Lust und
Krafft/

Daß er was gutes denckt/ und was erwünsch-
tes schafft.

6.
Darneben laß auch mich die Bücher fleißig treib-
ben/

Und weil mein Leben währt/ im Lande redlich blei-
ben/

Gieb mir gesunden Leib / und ein vernünfftig
Herz/

So leb^e ich in der Welt/ und dencke Himmel-
werts.

7. (müssen)
Und weil wir doch einmahl von hinnen scheiden
So laß mich meine Zeit in Jesu Nahmen schließ-
sen/ Hilff

Hilff/ daß ich noch zur lezt den Glaubens-
Seuffzer thu/
So weiß ich/ Iesus drückt mir Mund und
Augen zu.

Abend-Lied. Ejusdem.

Mein Werck ist nun vollbracht/ ich lege mich
zu Bette.

Zuförderst bitt' ich Gott/wenn ich gesündigt hätte/
Wie denn kein Zweifel ist/ er wolle mir verzeihn
Und zu der Besserung den reinen Geist verleihn.

2.

Hiernechst befehl' ich Ihm mein ganzes Thun und
Leben/

Er lasse dieses Haus der Engel Schutz umbgeben/
Und treibe Feuers-Noth/ Pest/ Krieg und Dieb-
stahl ab/

Daß ich/ und wer hier wohnt/die Ruhe sicher hab.

3.

Kans seyn/ so laß er mich die Nacht gesund voll-
bringen/

So will ich Morgen früh ein Lob-und Danck-
Lied singen.

Berfolget mich der Feind/ der in dem finstern
wohnt/

Ach Gott so schütze mich! sonst werd' ich nicht
verschont.

4. Schläfft

4.
Schläfft gleich der matte Leib/ so laß die Seele
wachen/
Und träume mir die Nacht von lauter Himmels-
Sachen/
Steckt im Geblüthe was/ das noch von Adam
rührt/
So hilff/ daß diese Lust die Sünde nicht gebührt.

5.
Gieb auch/ daß ich mich nicht in diesen Schlaf ver-
liebe/
Und nebst der Arbeit wohl die Gottesfurcht ver-
schiebe.

Hilff/ daß ich nach der Ruh an die Berrichtung
geh/ (steh.)
Und das/ was mir geziemt/ wie sichs gebührt/ ver-

6.
Ist aber diese Nacht die Sterbens-Zeit verhan-
den: (den/
Ach! so erbarme dich/ löß' auff die Sünden-Ban-
Und laß mich in der Zahl der Außerwehlten seyn:
So bin ich wohl versorgt. Ach Gott! nun schlaff
ich ein.



2/9

930

1/2



1171

1/2



Q. N. 145, 21.

x 2002 5

CANT

Sacræ,

Scholâ BUI

Evang

Lectionibu

per singulas

præmitti

solu

Qu

aliquot Precat

anne

Bud

Typis Andreae Ric

Ya
930

